PROGRAMMA,
QVO
D. ALEXANDER CAROC,
Facultat. Jurid. h. t. Decanus,
ad Actum Solennem,
ubi,
finitâ DISPUTATIONE INAUGURALI
DE PERSONIS IN JUDICIO PRINCIPALIBUS,
VIR Nobilissimus & Doctissimus
DN. GVILIELMUS VOSSIUS,
Stargardiâ Pomeranus,
d. XV. Dec. in Auditorio Acad. Majori,
J. U. LICENTIATUS creabitur,
Magnificum Dn. Rectorem,
&, unà cum
Generosis Dicasterii Regii
Dn. Dn. Directore & Assessoribus,
nec non
Gryphicæ Urbis Dn. Dn. Consulibus
& Senatoribus,
Dnn. Professores,
Studiosos, omnes literatos & literarum Fautores
officiosè & peramanter invitat,

GRYPHISWALDIÆ,
TYPIS DANIELIS BENJAMINIS Starckens/
REG. ACAD. TYPOGRAPHI. 1687.

Q*Vàm factu difficile sit, hominum societatem regere: rerum civilium scriptores multis edocti rationibus ostendunt, & experti civitatum administratores palam profitentur. Istius rei cum plurimi, per tot secula, concupiverint modum afferre & medelam; avidius in legislatoribus studium apparet, ut hominum voluntates documentis imbuerent & praeceptis, iisq; subigerent reluctantes. Inde tanta apud omnes gentes legum coacervatio: In qvibus multa futilia, pleraqve etiam nefanda. Vorare parentes mortuos, necare filios, sorores constuprare, multis non pudor sed lex fuit: adeò medicinam ipso alicubi morbo pejorem fuisse meritò dixeris. Qvod si verò omnium retrò imperiorum memoriam respiciamus, regendiqve modos scrutemur: facilè constabit, qvàm mitiora cœlum fata Christiano orbi temperaverit prae aliis, qvi crassâ errorum suorum caligine impediti, divinae veritatis diffusos latè radios minimè sentiunt. Eqvidem prima gubernandi species, ubi nondum tot artium colores hominum mentem obfuscaverant, qvò longiùs ab omni figura & schemate; eò propius ab Autore suo DEO abfuit. Sed mox Assyrij, Persae, aliiq; crudeliter & superbè caperunt dominari: qvorum sub asperis jussis & immanibus pœnis, vel, si mavis, cruciatibus, paucorum felicitatem, omnium duram servitutem annalium fides loqvitur. Ægyptij verò perplexè inepti, circa bestiarum laborantes cultum, per tot legum & ceremoniarum minutias, rerum summam tractarunt. Nec alia res Indicarum gentium salutem efficacius promovit, qvàm taedium acerbae servitutis, Regibus tàm sæpè litantibus sanguine miserorum. His omnibus perspicaciores Graeci, in moribus & doctrinâ civili, nihil non viderunt, & tractando illustrârunt, neq; tamen destinata perfecerunt. Praecipuè Plato, divino Vir ingenio, formandae Reip. omnem fere curam atq; operam impendit,*

dit, ipse qvoq; expertus, qvod magnorum sæpè Virorum est, extra rerum limites ferri, inter summa & præcipitia nihil ferè medium relinqvere: qvò factum est, ut Remp. pinxisse potiùs, qvàm instituisse dicatur. Aristoteles sententiam ipsi tribuit de communione bonorum, uxorum & liberorum valdè licet perversam, multis tamen etiam sanctis viris avidiùs qvam cautiùs probatam. Alij enim, qvi studiosius Platonem legerunt, negant ista, & hoc sensisse Platonem autumant: tum beatam fore civitatem, si civium qvisq; non se tantum & sua spectet curetq;, sed & aliorum civium res æqve ac suas salvas cupiat; Communes verò voluisse uxores non confusione libidinis, sed communione caritatis: qvalis ejusdem optima mensura divinis qvoq; oraculis demonstrata est. Utut hæc sese habeant, certè non se patitur Plato in luce rerum civilium spectari; tantùm per transennam & obductâ velut umbrâ ostenditur. Est tamen Platonicæ affinis regendorum hominum apud Spartanos ratio: Sed qvi ex unâ parte rigidæ severitatis amore luxuriant, pulsis in exilium innocentissimis qvoq; delectationibus; ex alterâ, malarum incentiva libidinum laxant, laudatis etiam furtis, punitis demum si deprehenderentur. Atheniensium vagus iste & desultorius administrandi modus placere poterat prurientibus undiq; novitatis studio ingeniis; mox meliora probaturis, siqvidem lubricam summorum hominum sortem, qvæ Athenis fuit, (ostracismum intelligimus) & discordes ibidem animos, in suam perniciem potentissimos, contemplentur. Carthaginensium compositos ad rigidam ubiq; severitatem mores dissvadet timenda hinc ingeniorum asperitas & qvidam horror imperij. Romanorum Rempublicam luxus fœdavit, & victum velut orbem vindicaturus, primùm in scelera secum, deniq; in ruinas traxit. Sunt utiqve legis Mosaicæ capita qvædam manensqve in decalogo prima, jure naturali fixa, & suâ sede inconcussa: unde, qvemadmodum ex Oceano omnium scaturigo fluviorum; ita omnia, qvæ modò cum ratione consentiunt, hominum instituta derivantur. At judæorum

perti-

pertinacia observationibus praterea austeris & minacibus coercenda erat : qvibus non convenit, liberrati natum & gloria populum in sevum qvoddam necessitatis pistrinum compingere. Ecqvam igitur putemus solidam regendi homines artem nobis tradi ! Moderatori Reip., *inqvit Tullius*, beata civium vita proposita est, ut sit virtute honesta, opibus, copiis locuples, & ampla gloria. *Et non abs re qvis existimet, omnia ritè composita esse : si sedeat in Principe grandis apex Majestatis : sit Ecclesia speciosa, nobilitas inclyta, Magistratus verendi, populus, qvantum capere civitas potest, ab omni re necessariâ instructus, armisqve ad defendendum hostem assvetus ; rideat agrorum cultus, delectet urbium domuumq; ornatus, floreant artes & commercia : Deniq; omnia sic misceantur prosperis & adversis, ut nec vita commoditas in luxum ; nec paupertas in sordes mœstitiamqve degeneret. Qvibus verò artibus hoc efficiatur, id maximè propositum est & dispiciendum. Apud Ciceronem cum* Menedemus diceret :

1. de Orat. 19. esse qvandam prudentiam, qvæ versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum & regendarum Rerump. Carneades omnes partes illius ipsius prudentiæ petendas esse à Philosophia docebat : neqve ea, qvæ statuerentur in Rep. de modo rerum omnium, cæteraqve sine qvibus civitates aut esse, aut bene moratæ esse non possent, *alibi inveniri. scil. tanqvam in propriâ sede. Inter* Heroica opera & beneficia, *qvorum usus in genus humanum redundat, civitates constitutæ passim memorantur. Qvantæ enim molis est, spectare, qvid mores gentium ferant, qvid ingenia hominum tolerent ; advocare etiam in consilium superventuram ætatem ; efficere solida potius, qvam ambitiosa, qvæ ætatem ferant, & ab omni ferri possint ætate. Omnia fermè, qvæ in artibus & scientiis traduntur, pauca sunt : si necessaria spectes, remotis levibus & otiosis hominum curis, qvi simplicia distendunt, plana impediunt, lucida obscurant, opem*

paucis

paucis, crucem plurimis paraturi. Ita etiam evenit in hâc regendi hominis solertia : qvæcunqve salutaria sunt & optima, latent in tam paucis præceptis, qvæ nobis DEI digitus exaravit. Nimirum ab omni ævo, interiori civilis sapientiæ sensu & intellectu præditis, Religio *&* Justitia *visa fuit, totam in se vim imperiorum æternitatemq́; complecti. Hæ sunt, qvæ ad Rerump. omnium Constitutionem accedunt primæ, recedunt ultimæ : nec, illis qvidem dilapsis, ulla facies civilis vitæ, nisi per spectra & falsas veri effigies relinqvitur. Corruptos impietate & scelere magistratus seqvitur tabes populorum, & miserandus status ; cui ultima pernities non tam differtur, qvàm trahitur. E contra ad* Religionis *&* Justitiæ *honestatem accedit qvidam splendor vitæ & decor ingenuus, qvi ex illis efflorescit. Ut aliqvantulum paritè dicam :* Nihil est, *inqvit Cic.* illi Principi DEO, qvi omnem hunc mundum regit ; qvod qvidem in terris fiat ; acceptius, qvam concilia cœtusq; hominum, jure sociati, qvæ civitates appellantur. *Revolvenda igitur sunt omnia ad suum fontem, ad Rectorem universi, ut commodè regi, sapienter ordinari, fortiter defendi possint. Vincit* religio *miti severitate disciplinam imperij & obseqvij, in qvâ nibil sit asperum aut sævum, nibil etiam solutum aut luxurians. Præviderat hoc Mæcenatis sagax animus, qvi multa svadens Augusto super optimâ imperij administratione, inter cetera monet, ut Deos secundum patrios ritus colat, tùm ipse ab aliis coli jubeat, sacra violantibus haud impunè habitis. Gliscit hic qvæstio de tolerandâ religionum diversitate ; qvâ de cùm B. L. ad obvios politicarum Institutionum libros remittam, illud saltem huic loco addendum erat, nullam* Christianâ *Religionem regendis retinendisqve hominum cœtibus aptiorem esse.* Gentilis *longâ vetustate errorum tumet, tot Diis & monstris, tot ferarum, avium, piscium q́; figuris, inferis qvoqve in numina descriptis.* Judaica *pervicacis cultrix sapientiæ, & abundantiâ luminis cæca, suis incubat pœnis, horrorem vitæ religionem putans,*

Somn. Scip. c. 3.

& expe-

& expectat Servatorem, qvem nunqvam visura est. Mahumetana *portentosis implexa fabulis, & solâ ignoratione colentium tuta inqviri vetat, qva non possunt nisi agnita damnari. At tanta est* Christianæ *religionis honestas, tam pudici mores, tam placida majestas: ut veneratione omnium populorum solo aspectu digna haberi possit: licet pro ejus causâ nondum tot oracula, tot stabilitæ Christianitatis miracula pugnarent. Habet tamen hæc res dubitationes qvasdam, & objectiones apud eos, qvi regendis Christianis Gentibus Sultanicos mores inducere satagunt; sed in qvos, auspicando ipsius disputationis actui, siqvidem temporis ratio permiserit, dicam. Alterum verò rectoriæ artis caput,* Justitia, *in universum certis officiorum gradibus constat;* ex qvibus, qvid cuiqve

Cic. 1. præstat intelligi possit: ut prima, *DEO immortali*;

off. 45. secunda, Patriæ; tertia, Parentibus; deinceps gradatim reliqvis debeantur. *Ita scilicet publicis nominibus ante privata studetur, & factâ, pro eo ac decet, rerum divinarum æstimatione, disciplina civitatis, subinde & fortuna immobilis consistit. Servatur inviolata rerum contractarum fides, qvâ nihil vehementiùs Rempublicam continet: qvâ foris existimatio paratur & benevolentia, firmissima pacis fulcra. Imperantium justitia procul habet superbiam & avaritiam, imò qvicqvid sophismatum, qvicqvid artium est, & arcanorum dominationis tyrannicæ. Rursus civium voluntates sibi conciliat, ut obseqvium cum securitate; qvam contumaciam cum pernitie malint. Præcipuè fulget in dirimendis popularium controversiis, occurrit solitudini miserorum, dat afflictis opem, lucem ambiguis, ordinem omnibus. Dives hæc penus est: undè* delibata *sua nobis exhibet* CANDIDATUS *noster, Nobilissimus & Præstantissimus* DN. WILHELMUS VOSSIUS, *Stargardâ Pomeranus: qvi hoc loco & à natalium honestate, & à studiorum suorum fiducia, more apud nos recepto, publicè commendandus venit. Natus A. C. M. DC. LIX. Genitorem habuit, Virum Integerrimum JACOBUM VOSSIUM,*

dum

dum viveret, Sartorij Ordinis antiſtitem, Matrem Lectiſſimam Fœminam MARIAM Franken. *Tinctus ſacro regenerationis flumine, facto à timore* DOMINI *principio, per prima literarum rudimenta, in triviali patria Scholâ, privato ac communi Præceptorum ductu, ab infimis ſuprema diſcentium ſubſellia conſcendit, tum qvidem* Rectore Collegii ac Scholæ *Viro, ob ſingularem eruditionem docendiq́ facilitatem, famam promerito, M. Christophoro Prætorio. Præſertim verò jacta humanitatis fundamenta Viro Pl. Reverendo Dn. Gabrieli* Schultzen/ *apud Wolgaſtanos nunc Eccleſiarum Præpoſito, ſe plurimùm debere, non ſine inſigni gratitudinis teſtificatione fatetur. Gymnaſia deinde, uberiùs ingenij pabulum prabitura, Patrium primò, qvod* Stargardiæ *eſt, mox* Sedinenſe *exceperunt Candidatum noſtrum. Illic ex Neandro, SS. Theol. D. ex M. Nicol. Benedicto Pascha, Christiano* Schmieden/ *& Joa. Wetterichio; hic verò ex Kansdorffio & Pfulio, SS. Theol. DD. Viris diſertiſſimis, juxta* & Amicis noſtris valdè dilectis, *hauſit, qvibus deſtinatum altioribus animum præmuniret. Inde tranſlatis Regiomontum ſtudiis, in celeberrima Albertinâ, ut æqvi boniqve artem diſceret, præclari nominis JCtos, Theodorum Pauli, Bolzium, Rangerum, Jeschkium, ceterosqve publicè ac privatim docentes audivit, & ne in tam arduâ doctrinâ qvicqvam præcipitaret, integrum illi ſeptennium impendit. Ita, cum meminiſſet, neminem niſi conſummatum coronari (qvippe nec divinâ laude dignum eſt nec humanâ, qvod opus ante finem dimittitur) à ſtudiorum procurſu non ante deſtitit, qvàm metam attingeret. In hoc tam laudabili inſtituto, poſt Præcellentium Virorum, qvos modò commemoravimus, exempla; ſummoperè laudat ſe retentum eſſe, ſimul & controverſiis forenſibus aſſveviſſe, uſu familiari, & affectu plusqvam paterno, Viri Conſultiſſimi Dn. Samuelis Linckii,* Cauſarum Fiſcalium in Boruſſiâ Defenſoris. *Nactus igitur, qva nunc oſtendit, artium virtutumqve decora, haud ita pridem*

adiit

adiit hanc Gryphicam, honesto proposito conseqvendi præstantes honorum titulos, si dignum se ordini nostro probasset. Qvod cum, exantlato justi rigoris examine, factum sit, unâ concordiq; omnium sententiâ obtinuit, ut, post prælectiones, qvas ad l. 3. pr. vers. nullum enim. C. de LL. absolvit, ad publicam qvoq; Disputationem, juxta & capessendum J. U. LICENTIATI gradum unde pateant illi insignia deinceps Doctoralia, admitteretur. Adornabitur ista solennitas proximo die XV. labentis hujus finientisq; annum mensis. Huic festivitati ut comitatu suo & præsentiâ nitorem concilient & celebritatem qvandam, omnes Academiæ Cives ac Fautores, eâ qva par est mutuâ animi promptitudine, rogamus.

Publicatum
GRYPHISWALDIÆ,
Sub Sigillo Facultatis Juridicæ,
dominica III. Advent. M. DC. LXXXVII.

L. S.